

Bibliothèque numérique

medic@

**Berault, Jean - candidat / Guibert,
Philibert - président. - An à Colore
Sexus differentia ?**

1616.

[Paris]

Cote : ms 74 n°548

QVÆSTIO MEDICA MATVTINIS DISPVATIONIBVS AGITANDA IN SCHOLIS
Medicorum die Iouis XXII. Decembris M. Philliberto Guybert. Doctore Medico Moderatore.

An à Colore Sexus differentia?

NATVRALIS vna ex principibus facultas non tantum in diuiduo per nutritionem cuius finis accretio aut conseruatio; sed & speciei per generationem consulit. Prouida scilicet natura in expugnabilem ob principia vite nulla ratione reparabilia, moriendi necessitatem prospiciens: hominum mortalitatem generis assidua continuatione compensat. Hinc sexus in marem & foeminam differentia cuius æqualis ad generationem necessitas, appetitus vt voluptas planè par, par seminum concursus, varia tamen & materiæ temperies & partium genitalium conformatio. Mas in alio, in se generat foeminam: mas semen ab omnibus partibus deciduum, à folis testibus partibus nobilibus elaboratum ei aculando, foemina fecunditatis primum & potentius femininum proleclando naturali motu & appetitu, recipiendo concipiendoque non tam vteri calore infuso aut influente, quam eius proprietate qualis ventriculi ad Chylum, hepatis ad hæmatum, testiumque ad elaborationem seminis.

CONCEPTIO igitur propria est actio vteri quæ seminis nondum animati exsuscitatur potestas. Semen prolificum non tam effusum quam injectum, & locis muliebribus receptum, nobili naturæ instituto alteratur, corrumpitur, semen esse definit, conerescit, omnibus partibus simul eodemque tempore delineatis conformatur, vt vcluti materia & subiectum, actum corporis organici potestate vitam habentis, animam recipiat. Materno sanguine, ante conceptionem non noxio sed inutili excremento, abfoluitur, fouetur, alitur, augetur sine opera venteris, non spirat sed transpirat & ab animali facultate sensum vnicum tactus & motum, à naturali & accidentali distinctum habet: donec aliquot elapsis mensibus feliciter septimo, infeliciter octauo, feliciter nono, decimo, vndecimo, noctu non interdum, in caput non in pedes solerti obstetricis manu prodeat.

SED cuius facta generatio? cuius conceptio? cuius materia & efficiens semen illud? cuius nutritioni sanguis conferet maternus? En quis consuevit agros? An molæ quam ex se generare foemina non potest, nec demon animare? minimè. partus quidem omne negotium componet. Sed si quis sit qui medicæ artis auxilijs parentum voluptatem præuertat, erit mihi magnus Apollo. Signis certè illud consequatur oportet, nec quibulliber, sed si rei possit haberi scientia certissimis, secus certioribus. Sexus in grauidis differentia multa signa. Incerta ab ætate & ventis, à tumore mammarum, & ab oculo grandiore, vt etiam à fetu in vtero motu pulsuque dextro aut sinistro: à lactis emulsi, si aquæ instilletur aut in pectus formetur, diuisione aut coherencia, à pedis in progressionem, aut manus in omni actione, promotione certa, à venarum quæ sub lingua sunt tumore aut inanitione, certius à colore.

COLORIS natura laet in profundissima caligine infcitæ humanæ, ignorantie scilicet causarum quarum opera & videtur, & est in subiecto secundum variam ipsius affectionem aliter atque aliter se habente. Illa autem à quatuor elementis non tantum secundum qualitates, sed & substantias præmissa alteratione permittit, exurgit, quibus qui colores aptauerit à vera philosophia nequaquam recessisse videatur. Si verò naturalium rerum communibus elementis inest color, perfectorum animalium elementis humoribus quatuor potiori iure conueniat, albus pituitæ, melancholicæ niger, bili lauis aut à calore tenuatus rubor, sanguini idem rubor sed admixtione crassiorum partium temperatus magis. Hi sunt humores qui generationis principijs immisit partes corporis sanguineas & spermaticas colorant, qui ex alimento diuersi generis & coloris, per triplicem ventriculi, hepatis & partium singularum coctionem, enati, & fæces tingunt, & vtiuas inhaunt, & sudores & pilos circa colorem mutant, denique cutem ita afficiunt variè vt de ealudant, & ex eius colore partium & totius temperies per dies, tempestates, & ætates mutabilis facillimè dignoscatur.

TA se res habet. color similis humori in cute efflorescit. Flauet biliosorum, melancholicorum nigricat, pituitosorum albet. roseo rubore suffunditur sanguineorum cutis. Affectuum contra naturam eadem est ratio. A sanguinis igneo seruore totus corporis habitus rubet, à pituita frigida humida albescit, à bile vtrique per contrarios naturæ canales abeunte Icterus vterque generatur. Foemina à temperamento frigido humido viris, qui gaudent contrario, candidior videtur. Quidni grauida ad contenti fetus notitiam seipsa colorator aut pallidior apparebit? Masculei & Foeminei sexus differentia duo faciunt nostræ generationis principia: Ab illis enim vt calidioribus mares, ita à frigidioribus Foeminae generantur. Semen quidem cum à toto decidat & vehicula potestatis suæ spiritus habeat, temperiem singularum partium, cuius cutis color index est, æmulari certum est. Sanguis vero in vterum delatus eâ qualitate & copiâ quâ in venis reperitur, quæ omnibus partibus vt alimentum ita omnes alimenti qualitates communicant, facit, vt qualis fortis talis sanguinis & cutis in foemina color esse videatur.

Ergo à Colore sexus differentia.

Proponebat IOANNES BERAULT Parisinus. R. S. M. DC. XVI.

DOMINI DOCTORES DISPVATVRI.

{ M. Ioannes Tournier.
M. Iacobus Perrean.
M. Guillelmus Gerbault.

{ M. Franciscus Lescuyer.
M. Franciscus le Sage.
M. Georgius Cernuy.

{ M. Franciscus du Port.
M. Ioannes Beanchesne.
M. Nicolaus Elain Antiquior Magister.